Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fundamenta eius in montibus sanctis. diligit dominus portas syon super omnia
tabernacula IACOB. non eas portas quas hodie cernimus in fauillas et cineres
dissolutas. sed portas quibus infernus non preualet. per quas credentium ad christum
ingreditur multitudo. Ostendebatur illic columpna. ecclesię porticum sustinens.
infecta cruore domini. ad quam uinctus dicitur et flagellatus. monstrabatur locus
ubi super centum uiginti credentium animas spiritus sanctus descendit. ut Iohelis
uaticinium compleretur. Deinde pro facultacula sua pauperibus atque conseruis pecu
nia distributa perexit bethleem. et in dextera parte itineris stetit ad
sepulchrum Rachel. in quo beniamin non ut mater uocauerat moriens. benoni
hoc est filium doloris mei. sed ut pater prophetauit in spiritu. filium dexterę procreauit.
atque inde speluncam saluatoris introiens. postquam uidit sacrum uirginis diuerso
rium. et stabulum in quo agnouit bos possessorem suum. et asinus presepium domini
sui. ut impleretur illud quod in eodem propheta scriptum est. beatus qui seminat super
aquas ubi bos et asinus calcant. me audiente iurabat cernere se fidei
oculis infantem pannis inuolutum. uagientem in presepi dominum. magos adoran
tes. stellam fulgentem desuper. matrem uirginem. nutricium sedulum. pastores
nocte uenientes ut uiderent uerbum quod factum erat. et iam tunc euan
gelistę IOHANNIS principium dedicarent. in principio erat uerbum.
et uerbum erat apud deum. et deus erat uerbum. et uerbum caro factum est. par
uulos interfectos. herodem seuientem. ioseph et MARIAM fugientes
in egyptum. mixtisque gaudio lacrimis loquebatur. salue bethleem domus
panis. in qua natus est ille panis qui de celo descendit. salue effrata re
gio uberrima atque fructifera. cuius fertilitas deus est. de te quondam
propheta uaticinatus est. et tu bethleem domus effrata non minima es in
milibus iuda. ex te mihi egredietur qui sit princeps in israhel. et egressus eius ab initio
a diebus eternis. Propterea dabit eos usque ad tempus parientis. pariet. et re
liquię fratrum eius conuertentur ad filios israhel. Inte enim natus est princeps qui
ante luciferum genitus est. cuius de patre natiuitas omnem excedit etatem.